

Inter ceteras disciplinas pueritiae tempore imbutus et musica, statim ut imperium adeptus est, Terpnium citharoedum uigentem tunc praeter alios accessit diebusque continuis post cenam canenti in multam noctem assidens paulatim et ipse meditari exerceri que coepit neque eorum quicquam omittere, quae generis eius artifices uel conseruandae uocis causa uel augendae factitarent; sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere et clystere uomituque purgari et abstinere pomis cibusque officientibus; donec blandiente profectu, quamquam exiguae uocis et fuscae, prodire in scaenam concupiit, subinde inter familiares Graecum prouerbium iactans occultae musicae nullum esse respectum, et prodit Neapoli primum ac ne concusso quidem repente motu terrae theatro ante cantare destitit, quam inchoatum absolueret nomen, ibidem saepius et per complures cantauit dies; sumpto etiam ad reficiendam uocem breui tempore, impatiens secreti a balineis in theatrum transiit mediaque in orchestra frequente populo epulatus, si paulum subbibisset, aliquid se suffritinniturum Graeco sermone promisit.